



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

Urkunden.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54314)

## U r k u n d e n.

I. Fragment einer Schenkung des Domprobstes Hartwig von Bremen und seiner Mutter der Gräfin Richardis an das Bisthum Havelberg, Besitzungen in Jericho und in umliegenden Dörfern betreffend, vom Jahre 1144.

Initium deest..... habeant idem fratres eum amovendi et alium meliori substitutione prout commodum eorum necessitudini judicaverint providere. Quod si contra hec violenter contendere voluerit, synodali iusticia et Episcopali auctoritate coerceatur. Quicumque eciam hominum sive ministerialium sive liberorum de bonis illius Borgwardij, que beneficiario iure possidet, pro salute anime sue, sive infirmus sive sanus, quacunq[ue] occasione ecclesie illi aliquid conferre voluerit, liberam ad hec ei concedimus facultatem. Hec est descriptio et denominatio bonorum et villarum, que illi ecclesie contulimus: In villa Jerchow XV solidi et quedam jugera ad sacerdotem pertinentia et cetera, que sacerdoti illius ecclesie antea Juris erant, scilicet in piscationibus et frumenti perfolutione, quod idem villani soluebant de annonarum suarum frugibus, Et villam Wulkow et Nizinthorp, villam quoque que flauica Wulkow eademque et minor Wulkow dicitur, cum omnibus suis vsibus, cultis et incultis, campis, pratis, viis et inuis, exitibus et redditibus, pascuis, aquis, piscationibus, molendinis, silvis, venationibus, questis et inquirendis Et cum omnibus iusticiis et pertinenciis suis aut quicquid aliud dici aut nominari potest. Et ut hec nostra donatio et tradicio stabilis et inconuulsa in omni evo permaneat, sigilli nostri impensione sicut et venerabilis Anselmi eiusdem ecclesie Episcopi signare et corroborare curauimus, Vt si quis contra nostrum statutum quod abist venire tentauerit, banno Apostolorum petri et pauli et eiusdem Episcopi anathemate (sciat) et perpetue maledictionis vinculo, nisi factum suum digna penitencie satisfactione emendet, se obligatum sciat. Huius autem nostre donationis et actionis testes sunt venerabilis Anselmus havelbergensis et eiusdem ecclesie Episcopus, Wigerus Brandenburgensis Episcopus, Gerardus majoris ecclesie Magdeburgensis prepositus, Adolphus sacerdos, Guntherus sacerdos, Bruno minor, Bartoldus, Godefridus diaconi et canonici majoris ecclesie Magdeburgensis, Euermodus prepositus Sancte Marie cum suo conventu, Walo prepositus Havelbergensis\*), Lampertus prepositus de Letzke, Odalricus prepositus sancte Marie Halberstedensis, Sigeboth Canonicus sancti Nicolai, Bono clericus, ex laicis vero Adalbertus Marchio, hademarus prefectus Magdeburgensis et filii ejus Sifridus et Alvericus, Hermannus de platho, Adalelmus de Burg et Gernodius filius ejus, Heinricus de Grabow, Harthmanus Castellanus de Jerchow, Conradus franckeleve, Rudolphus de Giuekenstein, Adelbertus de Eluenbuie et quam plures alii. Concedimus autem eciam eidem fratribus communionem cum vicinis suis in Jerchow silve, pascue, piscationis et prati, terris cultis et incultis, quantum egerunt. Anno dominice Incarnationis MCXLIII, indictione VII, Epacta XIII, concurrente VI, Anno ordinationis domini et venerabilis Anselmi Havelbergensis Episcopi et eiusdem Jerichontine ecclesie XVI. Actum Magdeburgk in domino feliciter amen.

Nach einem im Königl. Geh. Staatsarchive befindlichen Copiaro des 16. Jahrhunderts, dessen erste Seite fehlt. Bereits herausgegeben von G. W. v. Raumer in L. v. Ledebur's Neuem allg. Archiv I, 364.

\*) Dieser Domprobst Walo, welcher demnächst Bischof wurde, ist S. 38 nachzutragen.

## II. König Conrad bestätigt die vorsehende Schenkung, im Jahre 1144.

In nomine sancte et Individue Trinitatis Conradus diuina fauente clemencia Romanorum rex fecundus. Si ea, que ad utilitatem et pietatem ecclesiarum spectant clementi providencia ordinare curamus, ex hoc anime nostre salutem et temporalis regni incrementum accrescere non dubitemus. Quocirca tam futuri quam presentes noverint, Quod tradicionem prediorum, quam fecit Hertwigis, ecclesie sancti Mauricii canonicus, Bremensis vero Majoris ecclesie prepositus, Nec non mater eius Richardis comitissa parj consensu ad havelbergensem ecclesiam, presenti edicto in eternum valituro ratam et inuolabilem decernimus esse. Possessionum vero nomina hec sunt: In villa Jerchow XV solidi et quedam jugera ad ecclesiam ex antiquo pertinentia, scilicet in piscationibus et frumenti perfoluone, quod idem villani de fructibus suis perfoluere debent, et villam Wulkow et Niehintorp, villam quoque que slavica \*) Wulkow dicitur, cum omnibus earundem villarum usibus, cultis et incultis, vis et inuis, pratis et campis, piscationibus, molendinis, siluis aut quicquid aliud nominari potest vel dici. Preterea villam Rogaz, quam comes Otto dedit havelbergensi ecclesie et quicquid tres Imperatores Ottones siue Henricus Imperator prefate ecclesie contulit confirmamus. Et ut hec corroboratio nostra stabilis et inconuulsa permaneat, sigilli nostri impensione signare curamus. Anno dom. Incarnat. MCXLIII, indictione VII, epacta XIII, concurrente VI, Regnante Conrado Romanorum Rege II., Anno vero regni ejus VII. Data per manum Arnoldi cancellarii II Calend. Januarii. Actum Magdeburgk feliciter Amen. Sigillum domini Conradi Romanorum Regis.

Nach demselben Copiaro. R. v. Ledebur N. N. Archiv I, 366.

## III. Bischof Anselm von Havelberg überläßt dem Kloster Jericho von der Ausstättung seines Bisthumes die Marienburg mit den dazu gehörigen Dörfern nebst dem Rechte der Zehnthebung zwischen der Elbe, Havel und Stremme, im Jahre 1145.

In nomine sancte et Individue Trinitatis. Anselmus Dei gratia Havelbergensis Episcopus. Cum sepe Cor nostrum pia diuinitatis inspiratione compingeretur, Si quando Havelbergensem Episcopatum, qui gentiliū colonum barbarie quoquaversum horrebat Christianaque religione pessumdata jam pene nullus erat, reformare possemus, Omnipotens deus, qui semper pia vota dignatur intueri, speratis pociora nostre annuit voluntati. Nam ut sciamus, quod non facile quis explicet, quanta scilicet animi deuotione Ecclesia beate Marie in Magdeburgk tota se huic negotio personis et facultatibus suis impenderit, dominus Harthwicus, Bremensium prepositus, nobilitate et opibus summis Saxonum princeps, exequens consentiente et consulente matre sua Richarde fundum quendam Jericho cum ecclesia et suis usibus duasque villas Wulkow et Nitzentorp terciamque schlauica Wulkow vocatam, memorate ecclesie, precio ab ipso comparatam, cum omnibus usibus suis contradidit. Quod nimirum ea intentione fecit, ut fratres, a patre nostro felicitis recordationis Norberthus

\*) In dem Copiaro steht, genau gelesen, eigentlich slama, und in der vorher gebenden Urkunde bei diesem Punkt slavica. Daß hier aber nicht an ein Slawisches Dorf zu denken sey und daß es daher slavica heißen müsse, zeigt die folgende Urkunde.

(sic pro — tho) regularum instituti (sic), inibi collocentur, quorum sancta conversatione generatio illa prava atque perversa corrigatur. Deo igitur et eius famulis nos tam sedulo adinuocantibus magnas gratias agentes, addimus possessioni eorundem fratrum urbem que dicitur Marienburgk, quam prius Imperator Otto Havelbergenſi Episcopatuſi dedit, cum villis ad eam pertinentibus, quorum nomina hec ſunt Pricipim, Rotzinak, Cotim, Vitznizi, Niecormi, Milumi, Maltzii, Zimrelizii Rabbini, Pricipini, Jadini cum omnibus utilitatibus et decimatibus ipſarum. Preterea omnem decimam eorum, que nunc poſſident, quin eciam uniuerſam decimam tocius terre, que nunc colitur et decimatur ſeu poſt hec coletur et decimabitur, que horum fluminum limitibus diſterminatur, ab occidente quidem flumine Albi, ab oriente vero flumine Hauela, a meridie flumine Strume, porro a ſeptentrione lacu Clitzſe uſque ad prouinciam Schollene. Archipreſbiteratum quoque, quem prepoſito illorum Baldramo et eius legitimis ſucceſſoribus in perpetuum donauimus, eademque flumina limitantur. Quasunque ergo decimas cuiſlibet homini beneficiali iure conceſſimus ſive non conceſſimus, ad predictorum pauperum Chriſti ſuſtentationem et prebendam in eternam et propriam poſſeſſionem ſupradicto loco emancipauimus. Homines autem, quos exercere terram fratrum contigerit, de ſeculari iuſticia nulli niſi aduocato reſpondeant, quem idem fratres pro commoſo ſuo eligere et in quocunque iuſte eis diſplicuerit, prout equum eſt, emendare et mutare poteſtatem habeant, que omnia noticie fidelium tam futurorum quam preſentium patere volumus, Ne quiſquam ſucceſſorum noſtrorum hec adnihilare preſumat, Ideoque Banno Apoſtolorum Petri et Pauli primeque ſedis pontificis Eugenii noſtroque banno et ſigillo confirmamus, vt ſi quis huius priuilegii tenorem temerauerit, ſciat ſe delendum de libro uiventium et cum iuſtis non ſcribendum, niſi celeriter Reſipiſcat. Conſeruantibus autem fiat pax et gaudium in ſpiritu ſancto et nunc et in die eternitatis Amen. Actum Magdeburgk Anno dominice Incarnationis M. C. XLV.\*). Epacta VI, Ind., Concurrente, anno uero preſulatus domini Anſhelmi Havelbergenſis Epi. XVII. Huius rei ſunt teſtes dominus Fridericus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Gerardus prepoſitus, Halzeco decanus, Fridericus, Bruno junior Canonici ſancti Mauritii, Euerardus prepoſitus Sancte Marie, Lampertus prepoſitus de Lietzke.

Nach demſelben Copialbuche. Ungeſtaltet und mit der Jahreszahl 1146 abgedruckt in P. v. Reſebur N. Archiv I, 367.

#### IV. Paſt Eugen's III. Verfügungen wegen Corbeſcher Kirchengüter zu Kroppenſtadt an den Biſchof Anſelm von Havelberg und an den Domherrn Reiner daſelbſt.

Eugenius Episcopus, Servus ſervorum Dei, Venerabili fratri A. Hav. Episcopo ſal. et ap. ben. Dilectus filius noſter, Witaldus Abbas, et monachi Corbejenſes nobis conqueſti ſunt, quod Poppo de Blanckenburch, et filius ejus, et R. Canonicus tuus, reditus omnes, quos habuerunt in Kroppenſteden et Gruninguae ſibi uolenter abſtulerint, et inuſte detineant. Quia igitur ex officii noſtri debito eorum iuſticiae deeſſe nec volumus nec debemus, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus atque praecipimus, quatenus ſi eorum quaerimonia ueritate innitur, ipſos inuaſores diſtrictè commoneas,

\*) Der Copiſt hatte anfänglich 1146 geſchrieben, hat aber dieſe offenbar unrichtige Jahreszahl in 1145 umgeändert.

ut ablata cum integritate restituant. Alioquin infra duos menses, postquam praesentia scripta susceperis, de ipsis canonicam justitiam facias.

Eugenius Episcopus, Servus servorum Dei, Reinhero Havelbergenfi Canonico sal. et ap. ben. Dilecti filii nostri, Wilbaldi, et monachorum Corbejenfium quaerelam accepimus, quod in villa Croppensteden XX. mansos sibi injuste et violenter abstuleris. Quia igitur ecclesiasticorum bonorum inuafores quanta sint animadversione cogendi, tibi non credimus esse incognitum, per apostolica tibi scripta praecipiendo mandamus, quatenus et praedictos mansos, quos invalisti, et alia exinde ablata cum integritate restituas. Quod si contemtor exstiteris, scire te volumus, quia sine gravi vindicta non praeteribimus, si iteratus clamor super injuria praedicta ad nos pervenerit.

Nach Martene et Durand Collect. amplif. II, 212 und Buchholz Geschichte der Churmark Brandenburg I, 414. 415.

V. Schreiben des Bischofs Anselm von Havelberg an den Abt Wibald von Corbey, seinen Freund, über die damalige Lage des Bisthumes und Domcapitels zu Havelberg, etwa vom Jahre 1151.

Wibaldo, Venerabili Abbati, carissimo sibi, Anselmus, pauper Christi, orationes quotidianas et obsequium quotidie paratum. Carissime, scripsisti mihi familiariter et breviter, sed mihi multa de te et de me scire volenti, pauca non sufficiunt. Utinam per triduum saltem simul sederemus, et in medio nostrorum noster Cancellarius federet, ut mutua colloctione in omnium nostrum notitiam veniret, quod singuli intra se clausum tenerent. Ego quidem iterum jam in alveum cordis mei regressus sum, nec sponte mea de caetero adeo supereffluere disposui, ut ad instar torrentis lutum colligam, quo involvar, et coenulentam turbationem, quam saepe passus sum, iterum patiar. Quid enim mihi inter molentes, licet alter interdum assumatur, ubi continuus et infinitus est circuitus? quid mihi in agro, ubi licet assumatur, tamen vix unquam deest sol urens et aestus percutionis, seu alia quaevis tentationis intemperies? Quinimo in lectulo quiescam, ubi licet alter interdum relinquatur, tamen alter, nequaquam tot tentationibus expositus, frequentius assumitur. In praesepio meo Havelberg, pauper Christi, cum fratribus meis pauperibus Christi maneo, ubi alii turrim fortitudinis aedificant, a facie inimici, alii sunt in excubiis, ad defendendum contra insultus paganorum, alii divinis obsequiis mancipati quotidie martyrium expectant, alii animas suas, Deo reddendas, jejuniis et orationibus purificant, alii lectionibus vacantes, et sanctis meditationibus insistentes, et sanctorum vitam et exempla imitantes, se ipsos exercitant; at omnes nudi et pauperes nudum ac pauperem Christum, quantum possumus, sequimur. Satis lufimus, de reliquo res seria agatur. Christus in praesepio, Christus in praetorio, aliter ibi, aliter ibi. Ibi, id est in praesepio jacenti angeli laudantes concinuerunt, ibi, id est in praetorio ante principes stanti, acclamaverunt Judaei, crucifigatur, crucifigatur. O sigillum divinae scripturae quis mihi aperiet? quis, inquam, nisi agnus, qui occisus est ab origine mundi? Crede mihi, frater carissime, melius et tutius est cum Christo jacere in praesepio, et vagire miserias conditionis humanae, stella nova desuper lucescente, angelis gloriam concinentibus, regibus diversa munerum exenia offerentibus, quam stare in praetorio irradientibus militibus, flagellantibus, conspuentibus, alapis verborum cedentibus, coronam spineam, vere spineam, vere aridam, vere fuoco aeternae vitae carentem, vere spineam pungitivam, aculeos detractionis post laudes habentem plectentibus, sole contemplationis divinae obscurato, terra cor-

poris tremiscente, petra fidei scissa, velo templi diviso. Crede mihi, frater carissime, tutius est in praesepio, quam in praetorio. Ibi consolationes, hic terrores. Sufficit: dum enim scribo, et longiorem epistolam facere volo, nuntius Moguntini Archiepiscopi supervenit, et datis literis, factaque verborum legatione, eadem hora discessum paravit, et hanc epistolam succidere me coegit, quia nuntium meum statim cum eo mittere me oportuit. Dominum meum ac tuum Augustum humillimum, dum circa ipsum es, diligenter custodi, et quia Deus fidelem te et sapientem fecit, fac quod potes ac scis, quantum tibi permittitur. Saluta Cancellarium nostrum ex Anselmo tuo et suo.

Nach Buchholz Geschichte der Churmark Brandenburg Th. I, Urk. Anh. S. 420 und Martene et Durand Collect. amplif. II, 419.

## VI. Pabst Adrian IV. bestätigt das Kloster Jericho, im Jahre 1159.

Adrianus Episcopus servus servorum dei dilectis filiis Isfrido preposito Jherichontine ecclesie eiusque fratribus tam presentibus quam futuris canonicam vitam professis in perpetuum. Justis religiosorum desideriis consentire ac rationabilibus eorum petitionibus clementer annuere apostolice sedis, cui largente domino deseruimus, auctoritas et fraterne charitatis unitas nos hortatur. Quocirca dilecti in domino filii vestris justis postulacionibus clementer annuimus et prefatam ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communiuimus, imprimis siquidem statuentes, ut ordo Canonicus, qui secundum domini et beati Augustini regulam et fratrum premonstratensium institucione in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter conseruetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonicè possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis deo propicio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: fundum, in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinenciis suis, que Harthwicus tunc prepositus, nunc Bremensis Archiepiscopus, assentiente matre sua Richarde Comitissa, de patrimonio suo cum tribus villis scilicet Wulkow, Wulkow et Nitzentorp, que alio nomine Gardekin vocatur, devotionis intuitu vobis contulit, duos mansos ad luminaria ejusdem ecclesie in Ericksehleue, de quibus census XXV solidorum annuatim vobis soluitur, Curdtem de Burwardo Kobelitz, que et Marienburgk dicitur, intra vallum antiquum sitam cum stagno et villa, que similiter Cabelitz vocatur cum decimis et uniuersis utilitatibus, decimam ville Jerchow, decimas villarum Wulkow scilicet et Wulkow et Netzentorp, parrochialem quoque ecclesiam ville Jerchow cum pertinenciis suis, proventum quoque omnium decimarum ad jus diocesani Episcopi pertinentium, quas ipse diocesanus Episcopus de terris cultis et incultis ad proprietatem vestram iustis modis provenientebus vobis rationabiliter contulit, sicut in scripto ipsius exinde facto noscitur contineri, Auctoritate vobis apostolica confirmamus. Statuimus ecclesiam (eciam?) ut nullus aduocatus in ecclesia vestra ulatenus ordinetur, nisi quem fratres communi consensu prouiderunt eligendum, Archipresbiterum quoque totius territorii, cujus terminus est ab occidente flumen Albis, ab oriente flumen Hauela, a meridie strumen fluuius, a septentrione Burchwardium Klitzen ultimus finis, a bone memorie Anselmo Havelbergenfi Episcopo vobis concessus est, a vestra ecclesia decernimus perpetuo destineri. Liceat autem vobis clericos vel laicos liberos et absolutos in ecclesia vestra recipere et eos sine contra-

ditione aliqua retinere. Prohibemus eciam ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem aliqua levitate sine prioris sui clementia fas sit e clauetro discedere, discedentem vero absque Communi literarum canonicorum nullus audeat retinere. Decernimus ergo ut nulli omnino hujusmodi liceat potestatem temere perturbare aut eius possessioni auferre vel ablatos retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodo profutura, salva sedis Apostolice auctoritate et dioecani Episcopi canonica Iusticia. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tercione commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere perpetrata iniquitate cognoscat et a sanctissimo corpore et sanguine dei et redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat Atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eadem loca iusta seruantibus sit pax domini nostri Jesu christi . . . . . et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis iuueniant. Amen.

Nach demselben Copiaro, was besonders bei dieser Urkunde sehr fehlerhaft ist, z. B. für Burchwardium: Burchardi für eciam: ecclesiam und dergleichen sichtbare Schreibfehler enthält. Ungenauer Abdruck in L. v. Ledebur N. N. Archiv I, 369.

**VII.** Fürst Casimir von Pommern schenkt am Tage der Einweihung des Domes zu Havelberg dem Capitel daselbst eine Anzahl von Dörfern zu dem Zwecke, in einem derselben (in Brode) ein Prämonstratenser-Kloster zu gründen, im Jahre 1170.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Casimirus Dei gratia Pomeranorum princeps. Quoniam larga nos Dei clementia diuitiis et honore pre multis aliis mortalibus cumulare et excellentia terrene potestatis dignata est sublimare, placuit etiam nobis deuotionem animi nostri ei ostendere et oblatione competentis muneris debitas gratiarum actiones beneficii diuinis repondere. Sit ergo omnibus notum, tam futuri quam presentis temporis fidelibus, nos in die dedicationis Havelbergenfis ecclesie, consentiente nobis fratre nostro Boguzlao, quasdam uillas Deo et sancte Marie perpetue uirgini sanctoque Petro, apostolorum principi, uoluntaria donatione et prompta mente obtulisse, quas susceperunt a nobis uiri religiosi, scilicet canonici de congregatione Havelbergenfi, regulam sancti Augustini secundum institutionem beate memorie Noirberti Magdeburgenfis ecclesie archiepiscopi professi, perpetuo iure cum omnibus subscriptis pertinentiis suis stabiliter proprie possidendas. Quarum uillarum ea ratione alacri studio ratam eis indulimus possessionem, ut adunatione perforarum eiusdem professionis seruitium Dei in una earum, que ipsis aptior fuerit, agatur sine intermissione perpetua temporum reuolutione. Locum uero eundem Deo oblatum cum omnibus pertinentiis suis a nobis alienando manumimus et ab omni exactione iuris, quod in eo habuimus uel habere debuimus, uel quisquam ex parte nostra, liberrimum constituimus. Absolimus etiam eosdem fratres nostros et homines ipsorum, tam Slauos, quam Teutonicos, ab omni exactione theloni per totam terram nostram, tam in terra quam in aqua, in foro uidelicet, in pontibus, in urbibus et in nauibus. Precipimus etiam similiter omnibus sub culmine nostre potestatis degentibus, ut sollerti custodia studeant obseruare, ne ab ullo pestilente quolibet dampno, siue clam siue palam illato, familiariter nobis dilecti huius ecclesie canonici grauentur, quia non solum reus, si detectus fuerit, capitali sententie subiacebit, uerum etiam

potentes eis vicini, quorum studio et uirtute poterant ab iniuria dampni tueri, cum bonorum suorum dispendio sentient atrocem districte seueritatis uindictam. Hec autem est descriptio et denominatio bonorum, que illi ecclesie contulimus, uidelicet uillam Bruode cum foro, taberna et omnibus attinentiis suis, similiter et has uillas: Woiutin, Caminiz, Wogarzin, Szilubin, Calubye, usque in flumini qui uocatur Pretustniza, Patfutin, Wolcazein, Crukowe, Michnin, Pacelin, Vilim, item Vilim Carstici, Cyrice, Wuzstrowe castrum cum uilla. In Raduir: Podulin, Tribinowe, Wigon, Cuffowe, Tuartlulin, Dobre, Step, Ronene, Priulbiz, Nicakowe, Malke, Kamino, Lang, Ribike, Tsaple, Nimyrow, Malkowe, Stargard et Lipiz cum omnibus uillis suis usque in stagnum Woblefko et sursum Huelam usque Chotibanz, et desertas uillas, que a Vilim inter fines Chotibanz, Lipiz et Huelam iacent. Dedimus etiam eis salinam, que est in Colkle cum omni utilitate, que per laboris industriam futuro tempore fieri potuerit ibidem ex sale. Has uillas et hec omnia supra nominata cum omnibus, que ad uillas pertinent, hoc est arcis, edificiis, mancipiis, terris cultis et incultis, pascuis, pratis, campis, exitibus et redditibus, filuis, uenationibus, aquis, aquarumue discursibus, molendinis, piscationibus, niis et inuis, questis et inquirendis, cum omnibus, que ullo modo dici aut nominari possunt, ad prefatam ecclesiam tam integre tradimus, tam absolute donamus, ut prepositus ecclesie cum fratrum suorum uoluntate libera potiatut facultate et omnes in eodem loco eiusdem professionis ei succedentes, hec omnia pro libitu suo disponendi et ad utilitatem ecclesie eiusdem modis omnibus conuertendi. Concedimus quoque omnibus hominibus nostris, ut si quis ex eis diuina monitus inspiratione aliquid de bonis, que a nobis possidet, predictis fratribus conferre uoluerit, liberam habeat licentiam hoc faciendi et ipsi fratres liberam nichilominus habeant facultatem recipiendi et in usus proprios ea libertate, qua cetera donauimus, conuertendi. Et ut hec nostra traditio inconuulsa firmitate per omnia succedentium curricula temporum inuiolabilisque permaneat, presentem paginam sigillorum nostrorum testimonio suffultam eis deuote tradimus. Actum Huelberg anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup>, epacta I<sup>a</sup>, concurrente III<sup>a</sup>, indictione III<sup>a</sup>, regnante domino Friderico, glorioso Romanorum imperatore, presentibus ex clero: domino Wichmanno Magdeburgensis ecclesie archiepiscopo, Walone Huelbergensi episcopo, Wilmaro Brandenburgensi episcopo, Gherungo Misnensi episcopo, Euermodo Raceburgensi episcopo; ex laicis uero: Alberto Brandenburgensi marchione, Ottone filio eius, ius Marchie tunc tenente, Hermanno comite de Horlemunde filio eius, Theoderico comite de Werben filio eius, Alberto comite de Balstede filio eius, Bernardo comite de Anehalt filio eius, Wernero comite de Osterburg, Cunrado de Witin, Theoderico de Tanghermunde, Hermanno de Plote, Hartmanno, Heinricho et Rodolfo de Jerichow et aliis quam pluribus fidelibus. In domino feliciter Amen.

Nach dem Originale des K. Geh. Kabinet's Archives. Nach demselben bereits abgedruckt in den Jahrbüchern des Meckl. Vereins III, 197 — 200 und in Gercken's Cod. dipl. Br. III, 73, mit vielen Fehlern in Küsters Opusc. Collect. XVI, 140 und Buchholz a. a. D. IV, Urf. Anh. S. 15.

**VIII.** Herzog Boguslaw von Pommern stellt das Kloster Grobe wieder her und besetzt selbiges mit Mönchen aus dem Havelberger Hochstifte, im Jahre 1177.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Ego Boguslaus, Dei gratia Pomeranorum Dux, Vniuersis Christiane fidei domesticis tam nunc existentibus quam deinceps nascituris manifestum



feri desidero, Quod vir illustris predeceffor ac patruus noster Ratiborus catholicam religionem teneram adhuc apud noſtrates et imbecillem ſublimare ſtudit atque confortare. Inter cetera ſiquidem quibus exuberavit pietatis opera eccleſiam beate Dei genitricis temper virginis Marie ſanctique Godehardi, vna cum conſorte ſua Pribiſlaua, in Grobe fundauit et extruxit eamque poſſeſſionibus ac redditibus dotauit, quibus eſtimabat ſuſtentari poſſe conuentum fratrum ibidem diuinis officiis deſeruientium. Dedit enim in vſus miniſtrorum ejuſdem eccleſie ipſam villam Groben cum appendiciis ſuis, theloneum forenſe et decem marcas de taberna ante caſtrum Vznum et theloneum de nauibus ad idem caſtrum accedentibus. In prouincia Scitene forenſe theloneum et tabernam, terciam quoque partem ville Slauboriz et villam Rochouiz, pro qua nos commutauimus eis villam ſibi commodiorem Sikeriz. In prouincia Grozſwina villam Dobloviz, et in foro ejuſdem prouincie decem marcas de taberna. Juxta caſtrum Stetyn ſuper Odoram villam Zelechoa, ad quam nos dedimus eis villam Teplinina. Ante caſtrum Viduchova ſuper eandem Odoram ſitum terciam partem thelonei de omnibus nauibus ibidem tranſeuntibus et piſcaturam in fluuio Thicminice. Dimidiam etiam piſcaturam in torrente Cripinice, que pertinet ad villam Dambagora. In Colubrech cenſum falis in fartaginibus dominica die duas quoque domos ad quatuor fartagines et ante ipſum caſtrum ſex marcas de tabernis et in eadem prouincia duas villas Poblote et Suelube et theloneum de ponte, ſcilicet de vnoquoque curru per eum tranſeunte duos denarios et panem, et de quolibet homine ſalem ibi coquente vel per eundem pontem tranſeunte denarium cromatorum et ante ipſum pontem tabernam, et dimidium cenſum lignorum, que vehuntur per fluuium Parfandi. Cum autem pacis dormicionem vir ſupra memoratus accepiſſet et terre moderaminditioni noſtre omnipotentis diſpenſacio mancipaſſet, preſatum oratorium aliquociens viſitare dignum duximus. Quod et agentes ipſum proſus ſolitarium et tamquam neglectum reperiimus. Doluimus ergo ſuper hoc et miſeri ſumus, animaduertentes pium tanti viri propoſitum in irritum cedere, quin etiam ſtudentes operis communicatione ſuperne mercedis aliquam nobis portionem comparare, de Hauelbergensi eccleſia viros diſciplinam beati Auguſtini ſecundum traditionem Ewangelicam profitentes acquiſiuimus, locoque pretaxato impoſuimus. Quibus etiam, vt liberiſſe et alacrius Deo vacarent, ſi de temporalium ſubſidiorum penuria quod cauſarentur minus haberent, ad prenominata predecefforis beneficia etiam de noſtris adiecimus pro anima dilecte conjugis noſtre Walburgis villam Breziz, cum appendiciis ſuis. Dedimus nichilominus eis villam Minuchow et clauſuram piſcium ante ipſam villam, villam Wreſteuiz cum alia terra quorundam Slaurorum. In prouincia Scitene villam Corene. Super riuum Reueniz uillam et locum molendini, in prouincia Leſſan villam Reuene et ſuper riuum Bebroa locum molendini, In Pozdewole eccleſiam cum villa vna Budeſſina. Hiis etiam interſerendum cenſuimus, quod pro villa Puſtichow, quam etiam ex largitione Ratibori remotam et ſibi fere infructuoſam habuerunt, frater noſter Kazimerus in prouincia Gozkoueni Spasceuiz, Dulpo, Miriuiz et Coſſuz villas cum terminis earum cultis et incultis eiſdem fratribus in commutationem dedit. Addidit inſuper eis liberalitate gratuita villam Slotkeuiz ſuperiorum terminis contiguam. Volumus ergo et indiſſolubiliſſe preſentium literarum cautione noſtrique ſigilli impreſſione ſancimus, ut canonici Grobenſis eccleſie omnes quas commemorauimus poſſeſſiones ſuas ab omni jure terreni dominiſſe abſolutas, etiam ab omni prouinciali exactione, excepta inſtauratione municionum, ad quas ipſe pertinent, liberas in pace et quiete perpetuo poſſideant. Datum et actum in caſtro Vznum anno gratie milleſimo centeſimo LXXVII<sup>o</sup>. XIII<sup>o</sup>. Kalendas May.

Radſ Dreger Cod. dipl. Pomeran. I, 24.

IX. Herzog Boguslav von Pommern bestätigt die Schenkung von Broda und dessen Zubehör dem Domstift Havelberg, im Jahre 1182.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Boguzlaus, diuina donante gratia Pomeranorum dux, Quoniam maxima ex parte plebs dicioni nostre subdita rudis in disciplina fidei Christiane et indocta esse dinoscitur, si boni propositi et sancte conuersationis uiros pia consolatione fouendos et continua protectione fideliter seruandos suscipimus, incredule genti nostre ad uere fidei cognitionem et bonorum operum edificationem, nobis autem ad anime corporisque salutem ualere non dubitamus. Quo circa religiosos de congregatione Havelbergensis ecclesie uiros, regulam beati Augustini secundum institutionem domini Norberti Magdeburgensis archiepiscopi professos, quos beate memorie Cazimerus frater meus laudabili deuotione collegerat prediisque donauerat, nos pari dilectione amplectimur et cuncta, que eius largitione possederunt, consentientibus filiis nostris Ratiburone et Wartizlao, in ius rate possessionis in perpetuum eis confirmamus, uidelicet uillam Brod nominatam, cum foro, taberna et omnibus attinentiis suis, et has uillas: Wigon, Woitin, Reze et Wolcaz, Cameniz, Vilin et desertas uillas, que a Uilin inter fines Chotebanz, Lipiz et Hauulam iacent, et salinam, que est in Cholchele, cum omni utilitate, que per laboris industriam futuro tempore fieri potuerit ibidem ex sale. Et quia frater meus, antequam stabilem inciperent construere mansionem, rebus est humanis exemptus, liberam eis concedimus facultatem, ut quecumque ex supradictis uillis aptior et commoditati eorum opportunior extiterit, deo annuente in ea edificent prospero successu. Precipimus etiam omnibus sub potestate nostra manentibus, ut sollerti custodia studeant obseruare, ne ab ullo pestilente quolibet dampno, siue clam seu palam illato, predicti canonici nobis dilecti uexentur, quia non solum reus, si detectus fuerit, graui sententie subiacebit, uerum etiam uicini circummanentes cogentur, dampnum eis illatum ad integrum de propriis rebus restituere. Locum uero predictum, a fratre meo Deo oblatum, cum omnibus pertinentiis suis, sicut ipse fecerat, ita nos manumittimus et ab omni exactione iuris, quod ullo modo in eo habere possemus, uel quisquam ex parte nostra, liberrimum constituimus. Omnem etiam immunitatem, quam frater meus eisdem canonicis et hominibus eorum, tam Theutonicis quam Slauis, concesserat, nos simili deuotione indulgemus, remittentes eis onus edificationis urbium et ut per totam terram nostram ab omni exactione theloni liberi existant, tam in terra quam in aqua, in foro uidelicet, in pontibus, in urbibus et in nauibus. Concedimus quoque omnibus hominibus nostris, ut si quis ex eis, diuina monitus inspiratione, aliquid de bonis, que a nobis possidet, predictis fratribus conferre uoluerit, liberam habeat licentiam hoc faciendi et ipsi fratres liberam nichilominus habeant facultatem recipiendi et in usus proprios ea libertate, qua cetera donauimus, conuertendi. Has uillas et hec omnia supranominata cum omnibus, que ad uillas pertinent, hoc est areis, edificiis, mancipiis, terris cultis et incultis, pascuis, pratis, campis, exitibus et rebus, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, uis et inuis, questis et inquirendis, cum omnibus, que ullo modo dici aut nominari possunt, prefate ecclesie tam absolute concedimus atque confirmamus, ut prepositus eiusdem ecclesie cum fratrum suorum uoluntate libera pociatur facultate et omnes in eodem loco eiusdem professionis ei succedentes, hec omnia pro libitu suo disponendi et ad utilitatem eiusdem ecclesie modis omnibus conuertendi. Et ut hec nostra traditio inconuulsa firmitate per omnia succedentium curricula temporum inuiolabilisque permaneat, presentem paginam sigilli nostri testimonio sussultam eis deuote tradidimus. Actum Szvvine anno dominice incarnationis M.C.LXXXII<sup>o</sup>, concurrente III<sup>a</sup>, epacta XIII<sup>a</sup>, indictione XV<sup>a</sup>, regnante

domino Friderico glorioso Romanorum imperatore, anno imperii eius XXXII<sup>o</sup>, presentibus: ex clero: domino Conrado Pomeranensi episcopo, Helmuvigo abbate de Ztulpe, preposito Walthero de Uznam, preposito Sifrido de Camin, Reinerio, Bucvvalo, sacerdotibus, Alberto, Eluero, diaconibus; ex laicis uero: Budeuino, Johanne, Pribo, Buric, Golete, Venezlao et aliis pluribus fidelibus.

Nach den Jahrbüchern des Mecklenb. histor. Vereines III, 203.

X. Bischof Hugelbert von Havelberg beurkundet, Namens seines Capitels, das Dorf Dolniz gegen die Zehenthebung in den Dörfern Burgstal, Clodene, Dalechow, Wittenmore, Ten und Mland an die Halberstädter Kirche vertauscht zu haben, im Jahre 1186.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Hugelbertus (sic) Dei Gratia Havelbergensis ecclesie episcopus, omnibus christi fidelibus tam futuri quam presentis temporis in perpetuum. Notum sit omnium fidelium uniuersitati, quod ad commodum havelbergensis ecclesie et fratrum inibi deo feruentium decimas quarundam uillarum wittemore uidelicet, Burstelle, Clodene, Dalechowe et mansorum septem quatuor in uilla ten, que sita est in prato, quod uulgo Wisch dicitur, item in prato in uilla, que alende uocatur, trium (sic) mansorum, tam nobis quam eiusdem ecclesie conuentui pertinentium, quae uel qui in haluerstadenfis aeccliesie diocesi sitae uel siti erant, per donationem uillae, quae dolniz nominatur commutauimus. Eandem enim uillam praedictae scilicet haluerstadenfis aeccliesie una cum uoto et stipulatione aduocati nostri Ottonis marchionis et fratris sui heinrici comitis in recompensationem predictarum decimarum donauimus. Ut autem hoc factum nostrum robur sortiri ualeat nec ab aliquo in contrarium uenire uolenti possit renocari, de auctoritate et consensu nostri prepositi hellemberti et totius capituli nostri scripto annotauimus et sigilli nostri impressione consignauimus, statuentes et sub interminatione excommunicationis firmiter prohibentes, ne quis ex parte aeccliesie nostre ullo unquam tempore audeat in contrarium uenire. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXXX<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. Indictione III<sup>a</sup>. Epacta XXVIII<sup>a</sup> Concurrente II<sup>a</sup>. sub testibus honestis uiris clericis et laicis, Clericis his: haluerstadenfis ecclesie archidiacono Romaro, havelbergensis aeccliesie preposito hellemberto cum conuentu suo, Jerichontine aeccliesie preposito Salemone cum conuentu suo, Laicis autem his: Ottone marchione cum fratre suo henrico comite, Comite Alberto de Osterburg, Sifrido burgrauio de arnburg et filio ejus Conrado, Rothardo de Snetlingen, Brunone de Gersleue, Cunone camerario, Wernero de Gardelene, Rvdengero et henrico de osterburg et aliis quam pluribus.

Nach dem Originale des Königl. Provinzialarchives in Magdeburg. Neuester fehlerhaft abgedruckt bei Buchholz, Geschichte der Churm. Brandenburg Thl. IV, Urk. Anh. C. 31 und ebendrin mit der falschen Jahreszahl 1168 in Ludewig Reliqu. Mspt. Das ae und e so wie das f und s sind im Originale abwechselnd gebraucht.

**XI. Markgraf Albrecht schenkt dem Capitel zu Havelberg die Dörfer Borch und Cowal, im Jahre 1208.**

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Albertus dei gratia Brandenburgensium marchio. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris Christi fidelibus, quod ego albertus dei gratia brandenburgensium marchio, inter principes terre, more floris mane virentis, vespere arefcentis et in pulverem suum revertentis, In vana conuersione constitutus, terrena celestibus, temporalia eternis commodis preferenda esse (sic) fide cordis credo et verbis oris affirmo. Proinde havelbergensem ecclesiam, Parentum meorum, Alberti videlicet et Ottonis, fratrumque meorum Ottonis et Henrici studiis optimis promotam, et eorum elemosinis in collatione prediorum copiose fatis ampliatam, devotione paterna, quasi debito hereditario ad me transfusa, quantum potero consolari et fouere inuigilabo. Inde est, quod expedita deuotione duas villas, Borch et Cowale, sibi contiguas in Burchwardo havelbergensi, beate Marie in havelberg sanctoque Laurentio, ad comparanda mihi celestia pro terrenis, obtuli, quatenus ibidem defervientes eas cum omni iure possideant, et de proventibus earundem villarum et omnium eis attinentium agrorum, pascuorum et nemorum consolationem consequantur, eo quod pro benefactoribus suis tam uiuis quam defunctis iugiter intercedere teneantur. Accepimus etenim securitatem huius donationis ex privilegiis Henrici bauenbergensis et conradi regis et friderici imperatoris, qui predictam ecclesiam in hunc modum privilegiaverunt, ut princeps marchiam tenens, de possessionibus ad Imperatoriam dignitatem pertinentibus ecclesiam havelbergensem sublimare, et deo ibidem seruiendum stipendia possit ampliare. Ne igitur ullus hominum predictam ecclesiam in predictis villis molestare presumat, presentem paginam sigilli nostri impressione munivimus. Huius donationis testes sunt Sigebodo, eiusdem ecclesie Episcopus, Engelbertus Prepositus, Weseelinus prior cum toto fratrum suorum collegio. De Laycis vero Henricus Comes de Zvirin, Tidericus dapifer, fridericus Advocatus, Tidericus miles de Osteburg (sic), Selavi nobiles Henricus, Prizzlauiz, Pribbezlauz et andreas fratres, Item milites Reinherus et fridericus fratres de Hindenburg, Bodemerus miles, conradus miles et alii quam plures. Acta sunt hec havelberg VIII. id. Julii Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. in domino feliciter, Amen.

Nach dem Havelberger Copialbuche des Königl. Geh. Kabinet-Archives Bl. 5. Fehlerhaft abgedruckt bei Buchholz a. a. D. S. 45. 46.

**XII. Der Markgraf Albrecht bestätigt dem Bisthume, Capitel und der Kirche zu Havelberg, alle Verleihungen seines Vaters und Großvaters und legt dem Bisthume mehrere neue Bestuhungen in der Altmark bei, im Jahre 1209.**

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Albertus Dei gratia Brandenburgensis Marchio. Si in his, que nobis temporaliter diuina largiri dignata est clementia, Ecclesiasticis providere studuerimus utilitatibus, creditum quidem et debitum Deo restitimus, insuper magna pro paruis lucrifacimus, et coelestia pro temporalibus sperare, et pro transitoriis in perpetuum valitura, coelesti sic remunerante gratia, poterimus efficaciter expectare. Inde est, quod ad exhortationem et instantiam dilecti nobis in Christo Segebodonis, Havelbergensis Episcopi, ob spem perpetue retributionis, Ha-

velbergensem Ecclesiam, in sancte Dei genitricis et virginis Marie et gloriosi Martiris Laurentii honore fundatam, sincere diligere, corroborare, defendere, et pro modulo nostre possibilitatis elegimus exaltare. Ideoque, si que privilegia, et quecumque in privilegiis vel alio quocumque modo Pater noster Otto videlicet primus et Albertus, pie memorie Marchiones Brandenburgenses, et Reges et Imperatores eidem Ecclesie contulerunt vel indulserunt, rata et inconvulsa volumus permanere, ita ut nec nobis, qui facta approbamus, nec subditis nostris, quibus ne ledant prohibemus, nec aliquibus ea, que Deo et sanctis eius in sustentationem eiusdem loci data sunt, liceat aliquatenus infirmare. De rebus preterea Episcopi Ecclesie eiusdem et Canonicorum ibidem per totam Marchiam et potestatem nostram siue in aqua, siue in terra, volumus ut nullum thelonium detur vel accipiatur, ad exemplum iam dictorum parentum nostrorum, qui id ipsum in suo privilegio statuerunt et nobis inmutabile reliquerunt, qui et Havelbergensem Ecclesiam seculari exactione, ubi poterant, exuerunt. Quatuor mansos in prato, quod Wisch vocatur, quos prefati parentes nostri cum omni integritate contulerunt et libertate, volumus\* ut Ecclesia Havelbergensis sine gravamine habeat, et oblatam etiam sibi ab eisdem Ecclesiam in monte sancti Nicolai \*) cum omnibus appenditiis suis secura possideat tranquillitate. Piam insuper patris nostri voluntatem, quam scripto expressit et Sigilli sui impressione studiose corroboravit, nequaquam fas esse nobis credimus infringere, aut sine magna et diligenti circumspectione aliquatenus immutare. Unde secundum donationem ipsius et ordinationem, villam Dalchowe integro Jure et usu perpetue possessionis Episcopo Havelbergensi volumus singulariter deservire, Drusdowe vero secundum expressam voluntatem eiusdem ad prebendam fratrum Havelbergenium, dimidiam quoque partem Loffe hospitali ibidem ad elemosinam pauperum plenarie et jure indeficienti ob memoriam illius, qui contulit, volumus pertinere. Quicquid iuris aut servitii in tribus villis Withemore videlicet Clodene et Borstele, ratione advocacie vel honorum, in Marchia nostra sitorum, vel alias quocumque modo habere possimus, sepe dictus pater noster totaliter, cum quinquaginta solidis annuatim ad lumina, Deo et genitrici ejus perpetue virgini Marie et beato Laurentio, in sustentationem et meliorationem Havelbergensis Ecclesie, felici devotione et pro sua suorumque obtulit salute, que nos nequicquam infringere disponimus aut immutare, sed, ut participes orationum et elemosinarum esse valeamus, prompta voluntate intendimus omnimodo conservare. In his omnibus, que commemorata sunt, parentum nostrorum factis, licet prime voluntatis et oblationis non invenimus fundamentum, ex conservatione tamen eorum, que facta sunt, portionem alicuius meriti sperantes, disponimus et nos, Havelbergensis Ecclesie possessiones ob nostram et nostrorum salutem novis, quibus ad presens possumus, beneficiis ampliare. Offerimus itaque Havelbergensi Ecclesie ad usum et profectum Deo ibidem ferventium in honore sancte Dei genitricis et Virginis Marie et beati Laurentii, ob spem salutis nostre et proximorum nostrorum, universum ius nostrum de octo mansis, in prato, quod Wisch vocatur, et in eodem prato iuxta predium quod Alant dicitur, ad specialem usum et profectum Havelbergensis Episcopi omne jus quadrantis unius, quod in eo habuimus vel habere aliquo modo poteramus. Nihil proprietatis, nihil beneficii, nihil omnino iuris in eisdem octo mansis et eodem quadrante agrorum nobis reservamus, excepto, quod ad placitum maius, quod Botting vocatur veniant, et patriam, si communis necessitas exegerit, simul cum inhabitantibus defendant, et aggerem suum contra albis fluminis impetum conferent. Quicquid aliud in eis nostrum aut dici aut excogitari potest, hoc totum Havelbergensi Ecclesie et ejus Episcopo, quemadmodum distinctum est, conferimus, habendum et in locis infra subscriptis pacifice possidendum. In Villa Thene ius mansi unius et dimidii et quinque iugerum. In monte jus

\*) Die Kirche in dem Altmärkischen Dorfe Berge.

quadrantis unius. In Robole jus duorum manforum et quadrantis unius. In Klint jus quadrantis unius et quinque iugerum. In Werbene jus mansi unius. In Berendorp Jus duorum manforum, verum exceptis quinque iugeribus. In Rengerslach jus dimidii mansi et preterea in Scuringe jus quadrantis unius. In his omnibus, qui nominati et expressi sunt, mansi et agris, quia in eis, quicquid juris habuimus vel habere potuimus, totum hoc Deo et Sanctis eius et ecclesie Havelbergenfi. sincera obtulimus devotione, preterea in omnibus, que pater noster et avus Havelbergenfi Ecclesie contulerunt, possessionibus, insuper in uniuersis, que ex antiquo Havelbergenfi Ecclesie fundatores eius obtulerunt, bonis, precipue et nominatim in villa Withemore et Clodene et Borstele et Drufdowe et in medietate Loffe et in villa Dalchowe et in predio, quod Alant dicitur, et in quadrante ibidem, et in Havelbergenfi Burchwardi bonis, que in sustentationem firmam de suis redditibus Episcopi Havelbergenfi, et generaliter in omnibus Episcopi Havelbergenfi, ubicunque sita sunt, bonis, nolumus exactiones fieri aut petitionem, aut herbergarias aut angarias aut parangarias, et quicquid iniuriosum et gravaminis poterit dici, aut etiam cogitari. Hanc nostre uoluntatis et oblationis paginam sigilli nostri annexione, ut sit ualentior, roboramus. Quisquis contra eam venire temptauerit, diuinam timeat ultionem, et nostram et nostrorum se non dubitet incurrisse indignationem. Non enim, que Deo offeruntur, sunt rapienda, nec sincere devotionis oblatio est aliquatenus impugnanda. Hujus rei testes sunt Segebodo Havelbergenfi Episcopus, Engelbertus ejusdem Ecclesie prepositus, cum toto conventu suo, Godefridus Canonicus in Stendal. De Laicis uero Comes Adolfus de Dasle, Comes Vulradus de Dannenberg, Albertus de Arnstain, Hermannus prefectus de Magdeburg, Meinhardus agnomento Hornnebogo, Alexander de Waledal, Burchardus de Kockstede, Tidericus dapifer, Engelhardus, Fridericus de Mulbeke, Olricus de Holdenstad, Otto et Berwardus Fratres de Borstele, Henricus Flemingus, milites, et alii quam plures. Acta sunt hec Biscopesmarck. Anno dominice incarnationis M. CC. IX, epacta XII, indict. XII, XI. Kal. Novembris, In domino feliciter. Amen.

Nach Desrichs, Disp. de Botding et Lodding judiciis Germaniae, App. doc. p. 5 seq. Nr. III.

### XIII. Zugeständnisse des Abtes zu Premontré gegen den Bischof Siegebodo von Havelberg in Beziehung auf die Lebensweise der Prämonstratenser der Havelberger Diöcese, vom Jahre 1219.

Vir Venerabilis et specialis amicus noster, Mag. Johannes de Grabo, ad nos ueniens ex parte uestra et fratrum nostrorum, qui in ecclesia et dioecesi uestra morantur, nobiscum et cum quibusdam Coabbatibus nostris de compositione aliqua ineunda inter nos ex una parte et praedictos fratres uestrae dioecesis ex parte altera satis diu tractauit. Demum uero in hoc convenimus, dum tamen recipiatur a uobis et a fratribus memoratis, quod iidem fratres uescantur carnibus, utantur calceamentis de aluta, et pellicis in diuinis officiis, et Vambicis in dormitorio, sicut solent, non quod istas consuetudines approbemus, sed quod eas magis eligimus tolerare, quam fratres nostros taliter absterrere, quod quasi desperantes abjiciant obedientiae iugum in suarum dispendium animarum. Verum quia idem Magister nec praedictas consuetudines, nec quaedam alias, quae apud uos bonae reputantur, forsitan et honestae, scivit ita explanare ad unguem, quod certum iudicium de ipsis habere possemus, tam ipsas quam alias, si quae fuerint tolerabiles, in litteris uestris cum modo utendi iis plenius exprimendas, et nobis in nostro generali Capitulo exhibendas, tolerabimus, eo modo, quod renunciabimus omnimo-

dae potestati eos ad ipsas consuetudines dimitendas, vel ad alias recipiendas, nisi sponte, et qualibet sine coactione nostra, sicut ad nos per unitatem, ita per uniformitatem quandam revertantur, conscientia persuadente, salvo eo quod a quinquennio in quinquennium frequentent Capitulum Generale, et recipiant tam visitationes quam correptiones ordinis in praedictis consuetudinibus, si ipsis aliter, quam exprimeretur usi fuerint, et in omnibus aliis, ad quas se obligabunt, quod in ipsis debeant nobis conformes esse; hoc et iam addito, quod intra Saxoniam tantum praedictis consuetudinibus utantur, nisi intra Saxoniam ipsam declinaverint ad Ecclesiam aliquam, quae sit nobis omnino conformis ad praefens, aut velit se nobis processu temporis conformare. Si autem aliquis fratrum nostrorum, qui sunt nobis omnino conformes, sive causa visitationis, sive occasione itineris, sive alio quocunque modo transtulerit se ad ipsos, in refectorio et in infirmitorio, si infirmus fuerit, licite utetur cibis eorum in ecclesiis conventualibus. In aliis vero locis carnibus non vescatur cum eis, licet cum magna indulgentia toleremus, quod vescatur, communibus eorum pulmentis aliquando ut fieri solet propter scandalum evitandum, dum tamen in ipsis pulmentis carnes non appareant manifeste. Super his omnibus deliberabitis licentius et certificabitis nos melius quam feceritis hac vice, si placet, in nostro proximo Capitulo Generali. Nos autem habito jam consilio cum quibusdam, certissime credimus, quod in ipso Capitulo universos Coabbates nostros, licet cum aliqua, et fortassis cum multa difficultate, ad consentiendum tamen praedictis, inducemus fraternae caritatis intuitu, et ad hoc ipsum specialiter, ut saepe dicti fratres vestri seapularibus non utantur, et gaudeant eo modo psallendi, quem ad haec usque tempora habuerunt; salvo tamen eo, quod obligent se ad alia, quae non erunt expresse excepta, in quibus nec credimus, nec videmus, quod possint aut debeant aliqua ratione gravari.

Buchholz a. a. D. S. 58.

XIV. Das Capitel zu Havelberg überläßt dem Kloster Hillersleben die Hebungen von einer Hufe Landes in Achendorf, im Jahre 1255.

